DISSERT

INAU

QU

HYD

COM

ANN ENT

EX AUCTORITATE

D. GEORGI

ACADEMIÆ ED

SENATU

FACUL

Pro Gra

MMISQUE IN MEDICI

RITE ET LEGI

ERUDITO

JOANN

"Miseris

Kalendis Augu

EDI

EXCUDE

MD

(7.)

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

QUÆDAM DE

HYDROPE

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES GREEVES,

ANGLUS,

COLLEGII REGII CHIRURG. LOND. SOC.

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. EXT.

"Miseris succurrere disco."

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

JOANNI GREEVES,

PATRUM OPTIMO,

HAS PAGINAS,

STUDIORUM PRIMITIAS,

DAT SACRUMQUE VULT

AMANS GRATUSQUE FILIUS.

JACOBO RUSSELL, ARMIGERO,

SOCIET. REG. EDIN.

PROPRÆSIDI,

MEDICINÆ CHIRURGICÆ CLINICÆ,

IN ACADEMIA JACOBI SEXTI,

PROFESSORI,

NECNON

JOSEPHO BELL, ARMIGERO,

NOSOCOMII REGII EDINENSIS CHIRURGO,

CUJUS SUB AUSPICIIS,

REI MEDICÆ PRINCIPIA DIDICIT,

HOC OPUSCULUM,

OB MULTA BENEFICIA IN EUM COLLATA,

ANIMI GRATISSIMI TESTIMONIUM,

CONSECRAT

AUCTOR.

JOANNI SIMPSON, M. D.

DE BRADFORD, IN AGRO EBORACENSI,

OLIM SOC. REG. PHYS. EDINENSIS PRÆS.

Quo, mihi, nemo arctiore amicitiæ vinculo adnectitur, cujus scientiam quam maxime æmulari spero, cujusque virtutes quam maxime imitari.

J. GREEVES.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

HYDROPE

COMPLECTENS.

MORBUS, de quo paginis sequentibus agere decrevi, est dirus ille Hydrops, quo pauci majore jure medici attentionem sibi vindicant; sive ad varias ejus causas, lugubresve quos in corpore humano effectus edit, sive ad illustrationem quarundam corporis functionum quam suppeditat, respicimus. Me aliquid novi esse prolaturum haud equidem spero; sed si optima de hoc morbo scriptorum præcepta satis lucide exponere, exque

diversis sententiis, ea quæ proxima vero sunt seligere, totiusque demum morbi a quibusvis causis proficiscentis, intra hujus libelli fines conspectum includere potuero, voti omnino compos ero.

Animus, imprimis, ad Hydropis naturam, causamque proximam, ad signa ejus maxime solita, necnon et horum signorum rationem, vertendus erit. Deinde, causas morbi evidentes, exponere oportebit. Tunc quomodo morbus optime dignoscatur; quæque signa redintegratæ valetudinis spem, morbive desperationem afferant, expedire conabor. Postremo, ad curationem variorum morbi generum transibo.

DE HYDROPIS NATURA ET CAUSA PROXIMA.

Ubicunque morbus ex impedita vel turbata aliqua sani corporis functione oriatur, est semper credo medici diligenter eam inspicere, quippe cujus cognitio tam multum morbi naturam causamque illustrat. De exhalatione, igitur, serosa (functione scilicet quæ vitiata hydropem

efficit), necnon de absorptione, haud alienum erit pauca dicere. Omnes cavæ corporis partes, quæ saltem membrana serosa abducuntur, qualis peritonæum, pleura, tunica cerebri, omnesque cellulæ exiguæ quibus passim tela reticulata scatet, tenui latice arteriolis exhalationis perpetuo irrorantur. Prohibetur autem iste humor aquosus ne nimia copia congeratur, corpusque obruat, ope vasorum resorbentium, quæ pariter ac arteriolæ, osculis patulis in superficie istiusmodi partium locantur. Hoc modo posuit alma rerum Parens mirum pulchrumque inter has functiones æquilibrium. Semper jugis istius humoris salutaris adest fons; ne autem copia supersit, pars ejus constanter alio derivatur. Si autem, ex quacunque causa, æquilibrium istud disturbetur vel subvertatur, ita ut exhalatio seri inordinate fiat, absorptiove languescat, neque ad ejus vel solitam copiam tollendam valeat; maximeque, si ambo simul vitia concurrant (præclaro naturæ ordine subverso), tristes in corpore edunt effectus: aqua ubique effunditur, et effusa manet; universique corporis infirmitas et deformitas, dirum adesse morbum, haud ambigue indicant. Hic morbus est Hydrops;

cujus igitur causa continens est aucta seri exhalatio, vel ejusdem imminuta absorptio, vel forsan ambo simul concurrentia.

DE SIGNIS QUÆ HYDROPEM ADESSE INDICANT.

Varia, prout hanc vel illam in corpore humano sedem effusio hydropica occuparit, ex ea signa orientur. Aliter enim afficitur valetudo, aqua in thoracem effusa, aliter in abdomen, aliter in cerebri sinus, aliter demum inter cutem. Quocirca, universi morbi minus facile erit descriptionem satis lucidam tradere: diducendaque potius est in singula morbi genera, quibus scilicet probe perspectis et cognitis, universi morbi natura haud aberit quin intelligatur, et ipsa quoque genera, quæ multo sæpius medicinam facienti occurrunt, ab eo statim cognoscuntur. De Anasarca, igitur, sive Hydrope Intercute, de Hydrothorace et Ascite, quæ sunt Hydropis species maxime solitæ, pauca jam singulatim tradere propono. Hydrocephalum nihil attingam, quatenus

enim medelam admittit, ineunte nempe morbo, inter Phlegmasias recenseri debet.

Sedes quam occupat *Anasarca* seu Hydrops Intercus, quod nomen quidem indicat, est tela reticulata cuti proxime subjecta. Primum fere signum unde morbi suspicio oritur, est aliquis pedum tumor, vesperi sese manifestans, matutinis autem horis, et interdiu, vix oculo digitove percipiendus. Hic tumor paulatim sursum vadit, lentoque gradu totum crus et universum fere corpus occupat.

Jam cutis omnis semipellucida apparet, digitoque ei levissime impresso, foveolæ, haud brevi evanescentes, formantur. Facies, et maxime oculorum palpebræ, jam pallent turgescuntque; et totum corpus speciem cachecticam induit. Urina interim copia admodum parca redditur, pravique coloris est; alvus cogitur, fauces arescunt, siteque multum conqueritur æger. Sudor, quinetiam, omnino fere supprimitur. Sæpe autem, aqua intro versa, seu potius simili ibi effusione facta, et a simili causa proficiscente, morbus in Hydrothoracem vel Ascitem desinit. Nonnunquam "vis naturæ medicatrix," valetudini la-

boranti opem affert, morbumque, vomitione, vel alvi purgatione, vel magno urinæ fluxu, redigerit.

Hydrops pectoris, sæpe ut jam dictum est Leucophlegmasiæ, supervenit. Haud raro autem ipse primarius morbus est, cujus decursum jam persequi conabor.

Plerumque, a leviculo dolore, vel saltem molestiæ sensu, pone imum sternum sedem habente, incipit; tussicula quoque adest, necnon et spiritus ægrius traditur. Initio quidem morbi, spirandi difficultatem, nisi post exercitationem corporis, veluti clivi ascensionem, haud multum æger queritur. Morbo autem procedente, plus minus spiritus angustiæ constanter eum vexat. Pedes jam tument, vultus pallidus et anxius fit, totiusque corporis vires multum conquassantur. Jam noctes inquietas, somniis diris sæpe expergefactus, agit æger; decubitum in lectum (adeo ab eo spiritus intenditur) vix sustinere potest, somnumque in sella quærere cogitur. Arteriæ jam languide et inordinate micant. Urina, per totum fere morbi decursum, minore quam sano convenit copia redditur. Alvus tarda est; sitis ægrum vexat. Ad hunc tam deplorandum statum, re-

bus jam profectis, mortem haud longe abesse, præsagire licet: fere enim accidit, ut pectore aqua differto, et fistulis animalibus ex toto impeditis, æger morbi violentiæ succumbat, suffocatusque pereat.

Ascites, tertia Hydropis species de qua agendum est, sæpe quidem Anasarcam subsequitur, sed haud raro est ipse quoque morbus primarius. Incipit fere a leni ventris tumore, maxime prope epigastrium sensili; indies autem crescente, et tandem totum abdomen æqualiter occupante. Hunc, ut reliquos Hydropes, pedum aliquarum partiumque corporis aliquis tumor persæpe comitatur; pariterque in eo, ac in Hydrothorace, et Anasarca, sese habent urina, alvus et sudor: sitisque æque adest.

DE RATIONE HORUM SYMPTOMATUM.

Haud mihi in animo est, dum rationem signorum Hydropis reddam, omnia variorum hujus morbi generum indicia recensere, et ea sigillatim illustrare; hoc enim fuisse prorsus supervacu-

um foret; plurima enim signa sunt omnibus hydropibus communia, neque separatam explicationem desiderant. Hydrothoracem, igitur, optimum scilicet, quæ sit totius morbi natura, exemplar, ut omnia communia Hydropis indicia, quæ saltem explicare oportebit, complectens, necnon et alia sibi propria habens, selegi; ejusque jam signorum rationem ordinate exponere pergo.

Pedum œdema.—Humores tenues intus coacti, in telam cellulosam femorum et crurum effunduntur, atque pondere suo, (hac tela liberum inter cellulas suas commeatum præstante), vespertino præsertim tempore, versus pedes subsidunt.

Urina parca; sitis; cutis aridis.—"Mirum inter varias secretiones observatur æquilibrium; ita ut pari fere ratione ac aliæ augentur, aliæ minuuntur." Hinc, igitur, alio humoribus derivatis, urina deficit, arescit cutis, faucesque siti torrentur.

Spirandi difficultas.—Sæpe quidem hydrops pectoris ex vitiis tum cordis tum pulmonum oritur, quæ ambo spiritus angustiam efficere queunt: præterea humores in saccum pleuræ, necnon

forsan in telam cellularem ipsorum pulmonum effusi, hos gravant et impediunt, ne munera sua, ut debent, perficient.

Decubitus difficilis.—Facile credendum est, multo facilius ægrum, hoc morbo occupatum, erecto, quam inclinato corpore, respiraturum: quia nimirum effusi latices hac positura corporis imas thoracis partes petunt, ideoque liberas pulmonum motus minus impediunt. Pari fere ratione decubitus in unum quam in alterum latus melius toleratur, prout hic vel illic aquosi humores magis abundunt.

Subita ex Somno excitatio.—Difficultas quidem spirandi admodum ingravescens, suffocationis quasi sensum, et instantis mortis timorem, infelici ægro facessit; quo ille, magno horrore commotus, expergiscitur.

Livor facici.—Libero per pulmones transitu sanguinis impedito, reditus ejus per venas jugulares magna ex parte prohibetur, unde *venulæ* facici nigro sanguine turgescunt.

Macies et debilitas.—Morbo longius trahente, anxietate comitante molestissima, soporis reficientis defectu, et nonnunquam præsente mortis ti-

more, igneus vitæ vigor omnino defatigatur, et quasi restinguitur. Quin et absorptio ab aliis partibus concitatur, unde parum nutrimenti deponitur, summaque macies oritur; circuitu demum sanguinis, tum per pulmones, tum per alias partes corporis, impedito et languescente, non, ut oportet, stimulatur genus nervosum; calor deficit, vires collabuntur.

Pulsus arteriarum inordinati.—Ubi ex vitiis sinistri cordis *Hydrops* pectoris oritur, hujus signi ratio in aprico erit; quamvis autem causa morbi inferatur, ventriculi dextri contractio parum valere poterit ad sanguinem venosum per pulmones, jam aqua gravatos, propellendum. Justa, igitur, copia sanguinis, non singulis ejus systolis expellitur, neque abstrahitur sanguinis stimulus, unde duæ tresve systolæ loco unius fiunt; corde frustra, et quasi spasmodice, sese agitante. Manifestum autem est, ex septi carnosi situ, quod intra binos ventriculos intercedit, sanos sinistri quoque, unde proxime pendet arteriarum pulsus, non secus quam arteriis, deturbatum iri.

CAUSÆ HYDROPIS REMOTÆ.

Expositis jam *Hydropis* natura causaque continente, notisque ejus maxime insignibus, ea qua potui cura recensitis, nunc unde corpus diro isti morbo proclive fiat, quæque causæ effusionem istam aquosam, unde proxime pendet *Hydrops*, inducunt, expediendum est.

Patet, ex supra tradita *Hydropis* definitione, eas, quæcunque corporis morbosæ conditiones, injuriæve extrinsecus allatæ, exhalationem serosam præter solitam augent, vel absorptionem minuunt, *Hydropi* quoque ipsi ortum præstare. Hæc autem in quinque genera includi possunt. Primum locum tenet, sanguinis per pulmones et venas cursus impeditus: proximum, autem, universi corporis infirmitas pravusque habitus: tunc quædam corporis excrementa, veluti sudor, urina, fluxus menstruus, haud ut naturaliter debent extra eliminata, sed intro versa: deinde, cordis et arteriarum motus incitatior, haud inflammationi absimilis; postremo, frigus, intemperantia et in-

epta vivendi ratio, consideranda sunt. Singula hæc a primo incipiens jam plenius considerare propono: cujusque eorum causas nonnihil altius repetere; quinetiam explicare, quomodo in *Hydrope* inducendo quodcunque eorum operatur.

I. *Sanguinis per venas cursus impeditus.*— Sanguis in sano corpore perpetuo cursu circumfluens, varia, quibus exequendis, designatur munera, probe integreque perficit. Sed si, corpore morbis sive acutis sive longis vitiato, partiumque ejus internarum fabrica læsa, vel si ex quacunque causa corde ipso valvulisve ejus morbosis factis, impedimentum aliquid libero sanguinis fluxui offeratur, omnia male sese habent, cohorsque morborum miseram valetudinem conflictat. Ex iis autem, nullum quam *Hydrops* frequentius aut gravius est; qui, quomodo ex hac causa oriatur, et ab ea inducatur, non explicabo. Impeditur autem sanguis ne rite per venas circumfluat, vel tumoribus supra eas præmentibus; vel viscerum quorundam fabrica multum vitiata, et in scirrhum mutata; vel, demum, variis cordis sive dextri sive sinistri vitiis. Sic quidem, videndi causa, varia

arteriarum aneurismata super venas vicinas, uterusque gravidum super cavam ascendentem prementia, *Hydropem* plus minus diffusum sæpe generunt. *Ascitem* autem, vetustam hepatis inflammationem tandem in scirrhum desinentem, indies subsequi videmus. Necnon *hydropem* pectoris, post fabricam pulmonum longa inflammatione deletam, evenire. Denique, sacculi cordis, præter modum ampliati, et valvulæ ejus in os conversæ, tum sanguinis undam retro pellendo, tum profluvio ejus obstando, sæpe *Hydropem*, vel universi corporis, vel tantum pectoris, gignunt.

II. *Imbecilitas totius corporis, pravusque habitus.*—Facile aliquis credere potest, universi corporis infirmam conditionem vasa exhalantia, necnon et absorbentia laxa et debilia, efficientem, ita ut hæc, omni resiliendi potestate, vitalique vi perdita, immodicam seri copiam effundant; illa autem torpida prorsus facta, ad id resorbendum parum valeant, haud raro istiusmodi liquoris congestus originem esse. Pro certo saltem constat, nulla ad *Hydropem*, intercutem præsertim, corpora procliviora esse, quam ea quæ *Leucophlegma-*

tica vocantur, laxo nempe et debili compage prædita: In quibus, universi corporis conditionem a sanitate multum declinantem, etiamque id totum diro morbo occupatum, observare licet; quibus in casibus, satis verisimilis est conjectura, morbum ipsum a pravo corporis habitu proficisci.

III. *Excrètiones suppressæ.*—Nullum *Hydropis* exemplum, ex hujusmodi causa oriundi, egomet ipse vidi. Neque in scriptis medicorum plures tales casus invenio. Quapropter, mea de hac re commentatio brevis admodum, et forsan minus quam oporteat plena sit, necessario sequitur. Dicitur, quidem, urinam (quomodo ex tota fere suppressa esset) intro fuisse versam, et in corporis penetralia, et ipsum etiam caput, permanasse.

Cuticularis quoque exhalationis sive sudoris ex frigore suppressa subita, haud raro, ni fallor, brevi in *Hydropem* intercutem desiit: cujus rei quidem ratio in aperto est; nimirum, tenuis humor aquosus, qui per cutem naturaliter exhalari debeat, (vi frigoris vasa superficia constringente),

intro pellitur, ibique, vicaria quasi excretione, effunditur. Hic quoque mentio fieri debet de *Ascite*, suppressam *diarrhœam*, necnon et sanguinis ex alvo fluxum subsequente, et quasi ea alterne excipiente.

IV. Alius, unde nascitur *Hydrops*, fons considerandus superest: *cordis* nempe *et arteriarum incitatior motus inflammationi similis.*—Hanc morbi originem, minime quidem suspicati sunt antiquiores medici; neque nisi intra paucos annos ea reperta est. Atque ideo, venam hominis *Hydrope* intumescentis insidere, nihil aliud quam eum jugulare olim putabatur; hodie tamen, in nonnullis *Hydropibus*, sanguinis missio multum proficere comperitur. Hinc autem præcipue *Hydropem* ex inflammatione nonnunquam oriri, concludere licet; imprimis, quod ille, ex iisdem causis quæ inflammationem in corpore accedunt, nonnunquam oriatur; eumque simul signa inflammationis maxime solita comitentur—febris nempe et dolor, percussusque arteriarum duriores et celeriores. Tum præsidia quæ maxime inflammationi auxilium ferunt, veluti san-

guinis missio, hirudines et vesicatoria, ei quoque opitulantur; deinde sanguis qui in hujusmodi casibus detrahitur, "*superficiem coriaceam albam*" plerumque exhibet. *Hydrocephalus*, inflammationis in *Hydropem* desinentis, exemplo est: vix ullus enim hodie dubitat, quin iste morbus, initio ex inflammatione profectus, diro *Hydrope* finiatur. Hic autem morbus, aqua semel effusa, est nunquam non lethalis, quatenusque ideo ad *Hydropum* genus pertinet, prorsus insanabilis est. Sunt autem alii *Hydropes* exque inflammatione profiscentes, qui salutaribus medicinæ conatibus locum cedunt. *Hydropem* pectoris, necnon *Anasarcam*, ab inflammatione ortum deducere, plus semel ego vidi; eosdemque a solitis inflammationis remediis felicissime emovi. Huc forsan isti *Hydropes* referri debent, qui ex *scarlatina*, *morbillis* et *variola*, necnon et *dysenteria* temere suppressa, supervenerunt,—inflammatione, a cute et mucosis membranis, serosas versus telamque reticulatam translata. Inflammationem *Hydropi* præisse suspicandi ratio erit, cum is causas inflammationis genetrices subsequitur; cum dolor vel molestia aliqua affectas

partes occuparit ; arteriis simul vehementius micantibus, totoque corpore plus minus graviter febricitante. Nullus supererit dubitandi locus, si medicus, his signis fidens, detractionem sanguinis eventu prospero expertus erit, isque missus "*superficiem coreaceam albam*" exhibuerit. Mirum equidem videre potest, inflammationem quæ tam longe diversum cursum plerumque sequitur, hoc modo unquam terminare; tamen si præceptum a *Professore* ALISON in suis prælectionibus traditum sedulo perpendamus, minus obscura hujus rei ratio videbitur. *Illi* quidem persuasum est, inflammationem, nisi in corporibus jam ad *Hydropem* proclivibus, nunquam in eum desinere. Neque mihi mirabile videtur, corde et arteriis ultra quod debent naturaliter incitatis, vique insolita micantibus, præsertim in corpore *leucophlegmatico*, et aquosis humoribus differto, serum immodica copia effusum iri. Quando autem frigus inflammationi antecedit, minime omnino mirandum est, si ea in hujusmodi effusionem desinerat. Id enim sudorem reprimit, et intro pellit vim magnam serosi laticis, et hoc modo exhalationem inordinatam multum auget.

V. *Frigus et Intemperantia.*—Supra quidem exposui, quomodo frigus in *hydropem* afferendo operatur. Intemperantia autem, et præsertim meraciorum potionum diuturnus et immodicus usus, cibi concoctionem perturbat, stomachum infirmat, hepar in scirrhum vertat, totius generis nervosi vires absumit, necnon et cor arteriasque præter naturam concitat, et in nimios motus agit. Unde facile intelligi potest, quemadmodum intemperantia vel per se, vel aliis causis conjuncta, humano corpore hydropem inducat.

PROGNOSIS.

Ex supra dictis de variorum *Hydropis* generum natura, causisque ejus genetricibus, satis facile colligi potest, quæ indicia bonam spem ferunt; quæque præsagium infelix. *Hydropes* igitur sanabiles sunt, vel nullam curationem admittunt, prout causæ quæ eos in corpore gignunt, salutaribus contra morbum naturæ vel artis conatibus, cedunt vel repugnant. Causa enim manente, manebit etiam effectus; ablata vero, morbus tol-

litur. Quapropter si *hydrops* ex vitiis jecinoris, vel cordis, vel alicujus visceris insanabilibus oritur, næ homo tali morbo decumbens, vix aut ne vix quidem, unquam ex eo emerget. Pari quoque ratione, *hydrops* corpus occupans, cujus vires jam senio longisque morbis fractæ sunt, vix unquam radicitus tollendus erit. Meliora autem sperare possumus, quando hic morbus juvenile adhuc et sanum corpus invaserit, subitoque ortus erit, neque ex causis alte in corpore hærentibus. Adeoque, *hydropes* ex inflammatione supervenientes, exque frigore, et retentis excrementis oriundos, indies feliciter curatos videmus. Haud equidem adeo perpetuum est id, quod jam de præsagitione *hydropum*, ex vitiatis visceribus nocentium tradidi, ut non aliquando per spatium temporis plus minus longum levantur, admodum vel omnino fere tollantur. Nonnunquam enim fieri potest, ut effusa aqua, ope medicaminum urinam et alvum moventium, resorbeatur et digeretur; ideoque corpus detumescat, cessentque pro tempore saltem plurima *hydropica* signa. Affectus enim viscerum, quales sunt supra recensiti, potius fortasse magnam proclivitatem ad *hydro-*

pem corpori addunt, quam istum morbum ei proxime inducunt. Unde potest evenire, ut homo hujusmodi vel desperatis vitiis laborans, (nulla scilicet causa corpus jam *Hydropi* proclive in eum præceps dante), ex eo sit diu immunis; vel etiam ut *Hydrops* ex iis vitiis proficiscens, si medicina semel tollatur, ne iterum diutius repetat; nimirum, si causæ quæ eum reducere potuerint, veluti frigus et intemperantia, satis curiose evitentur. Horum quidem ratio nos admonet; vereor tamen ne ea, quantumcunque veri sunt similia, nimis raro experientiæ respondeant.

DIAGNOSIS.

Hydrops pectoris vix ullo alio morbo confundi potest, si indiciis quæ eum comitantur et designant, attentius animum vertamus. Nullum enim vel minime peritum medicum istius affectus naturæ latere potest, quo æger constanter angustia spiritus vexatur, neque decubitum in lectum sustinere potest, necnon ex somno sæpius per noctem subito excitatur: Livore præsertim

faciei, pedum tumoribus, urina fere omnino suppressa, sitique inexplebili, urgentibus.

Anasarca ab *Emphysemate* facile dignoscitur, signis et historia morbi tam longe diversis.

Ascites abdominalis ab *Tympanite* dignoscitur; quia in hoc morbo est tumor abdominis elasticus, sonorus, sæpe inæqualis; aut æquabilis et resonitu evidentiore: dum in illo est fluctio aquæ satis evidens, tensio vix elastica, digitoque impresso figura aliquantius manet.

Ascites saccatus tumorem versus unum alterumve latus primo ostendit, ubi sentiuntur tensio et dolor obtusus, tarde nascitur: et tumor in loco eodem permanet, positu corporis mutato; sitis minor, respiratio facilior, macies minor, et appetitus vix diminutus, et raro œdema pedum. In *Ascite* abdominali res sese longe diversæ habent.

Quod ad diagnosin *Asciten* inter et *Graviditatem* attinet, historia morbi multum ad ea discernendum certe juvabit; si vero plura quis requirat, eum ad *obstetrices* remitto.

DE HYDROPIS CURATIONE.

MEDICUM ad naturam morbi potiusquam ejus nomen respicere debere, in nullo genere adversæ valetudinis quam *Hydrope*, magis patebit. Multi quidem morbi indicia sunt aliorum et graviorum a sanitate declinationum, ipsi parum autem primarii affectus; quod in *Hydrope* maxime verum est. Quid enim? Ex causis tam variis atque diversis nascitur hicce morbus, tamque diversas species, prout ex hac vel altera harum oriatur, exhibet; ut curatio ejus sit admodum varia, siveque sæpe dissimilis, oportuerit. Aliter enim curatur *Hydrops*, jecinoris vel cordis vitia subsecutus, aliter is ex imbecillitate corporis oriundus, aliterque demum omnes *Hydropes* aliis ex causis proficiscentes. Medendi autem consilia, quibus vindicationem *Hydropis* in sanitatem moliri debet medicus, sunt tria, scilicet, quæ omnigeni *Hydropis* curationem intra se concludunt, universisque ejus generibus adaptantur.

I. Causas morbi genitrices submovere, vel saltem levare.

II. Aquam jam effusam elicere, extraque corpus eliminare.

III. Si duo priora consilia satis feliciter cesserint, curiose providendum est ne morbus denuo recurset.

I. *Causas morbi amovere, &c.*—Tam sæpe vetustis in insanabilibus internarum partium vitiis supervenit *Hydrops*, exque iis proficiscitur, ut multum verendum sit, ne in plurimis casibus, consilium primum exequendi nullus locus fuerit; cordis enim pulmonumque vitia, qualia *Hydropem* gignunt, nulla, quantum scio, arte, sanari queant. Vitia quinetiam *jecoris*, et *scirrhus* præcipue, quamvis *hydrargyri* viribus interdum nonnihil leventur, perraro tamen ad integram sanitatem perducuntur. Unde fit, ut *Hydropes* hujusmodi fontibus derivati, fere semper omnia artis molimina frustrentur. Hoc tamen oportet recordari, nullum auxilium quod in similibus casibus unquam profecit, aut adhuc proficere posset, omitti aut negligi oportere; ideoque, nihil,

quod *cordis pulmonis*ve vitiis vel forte occurrere posset, tentari non debere; et in *jecinoris* vitiis *Hydrargyrum*, et quidquid aliud contra ea opituletur, adhibenda esse.

Hydropes autem ex universi corporis debilitate oriundi, universæ melioris valetudinis molitione optime curabuntur. Mihi quidem persuasum est, pravam et vitiatam conditionem earum partium quæ cibum concoquunt digeruntque, sæpe valetudinem deterere, viresque corporis labefactare, et hoc modo *Hydropi* ortum præstare. In quibus casibus exercitatio corporis "*sub pleno Jove*," paulo forsan vehementior, sed certe citra fatigationem, multum juvat; frictio quoque, et si vires sustineant, balneum frigidum, recte adhibetur. Remedia tonica, qualia sunt *Peruvianus cortex*, *amara* quædam, nonnullaque ex *ferro* medicamenta, non sine fructu porriguntur. Vini quinetiam pauxillum, cibus lautior, et ex valida materia, concedenda sunt. Mens interea soluta curis, et hilaris servanda est. Ventriculo, jecori et intestinis, ut quam optime sese habeant, suaque munera rite exequantur, consulendum est: Quod optime fit tum cauta ciborum moderatione, tum

solerto usu medicamentorum quæ alvum solvunt, et confirmant stomachum. Hoc quidem modo, si omnino fieri possit, restituentur vires corpori atque " *aquosus languor*" tollitur.

Ubi ex inflammatione *Hydrops* oritur, atque signa hujus haud ambigua comitantur, ad remedia contra hanc efficacissima, præcipue sanguinis missionem, confugiendum est. Hoc enim modo optime vehementiæ inflammationis obsistitur, atque compescitur inordinatus cordis et arteriarum motus, causaque demum, unde ortus est *Hydrops*, tollitur.

Vix forsan est ullum indicium, quod si separatim animadvertatur, inflammationem *Hydropi* subesse, eumque genuisse, parum ambigue testabitur: si vero ad omnia supra tradita conjunctim respiciamus, eaque sedulo perpendamus, haud difficile erit rectum judicium proferre. Loquor de causis morbi evidentibus, de signis eum comitantibus, de ictibus cordis et arteriarum, de dolore febreque, et postremo si sanguis missus fuerit, de specie quam is exhibet.

Hic quoque eo genere cibi et potus erit utendum, quod maxime inflammationem temperet reprimatque; ab omni meraciore potione abstinendus erit æger, ciboque calefaciente.

Ubi *Hydrops* excrementis aliquibus retentis intusque versis, veluti sudori, fluxui menstruo vel urinæ supervenit, amotio causarum ejus ex redintegratione harum salutarium exinanitionum pendebit; neque igitur opus erit ulterius de hac re disserere.

II. *Consilium.*—Aquam jam effusam elicere, extraque corpus eliminare.

Duobus præcipue modis emittitur aqua *hydropica;* vel *ferri ope, fonticulorum*que, vel alvi, sudoris, urinæve insolitum fluxum ciendo, ita ut absorptio in partibus affectis multum augeatur, atque ex iis aqua abducatur. Quod ad priorem modum attinet, vix aliquid habeo quod dicam: quatenus enim manu perficitur, chirurgi potiusquam medici est; quidquid autem ex eo commodi oriatur, mox, de altero disserens, exponam.

Exinanitiones autem istæ, de quibus feci mentionem, ope medicaminum proprie eo valentium, concitantur. Multo quidem usitatius adhibentur ea quæ alvum et urinam movent, quam quæ vomitum sudoremque. Vomitoria quidem, neque diaphoretica medicamenta, nunquam ipse in hoc morbo usurpata vidi; ideoque, de commodo

quod præstent, nullam sententiam egomet proferre ausim. Haud tamen dubitari potest, quin plenus vomitus, resorbendi vires per totum corpus permoveat concitetque. CULLENUS auctor est, vomitionem haud raro in *Hydrope* multum profuisse; alvi autem ductionem, multo magis videtur comprobasse. Quod vero ad sudorem eliciendum attinet, si rationem tantum sequeremur, præstantissimum certe remedium id videri posset. In hoc enim morbo cutis arescit, et omnes *mucosæ* membranæ solita humoris copia destitui videntur, *serosæ*que eo nimis abundare. Quid igitur, admonet ratio, melius fieri potest, quam cutis exhalationem redintegrari, atque ita subversum æquilibrium restituere? Atque ideo, quidam haud parvi nominis medici sudationem moliri præcipiunt. Verba boni CELSI sunt, " Evocandus sudor est, non exercitatione tantum, sed etiam in arena calida, vel laconico vel elebano, similibusque aliis." Nec aliter canit Q. S. SAMONICUS,

" Necnon et tepidis convalves corpus arenis."

Quod tamen quantumque probabile videatur, experientia minime fallax parum comprobat.

Reliquum est, ut de purgantium medicaminum urinamque moventium usurpatione, de modo quo exitu felicissimo adhibentur, deque commodo quod in *Hydropis* curatione afferunt, pauca disseram.

Ea igitur purgantia sunt maxime contra *Hydropem* efficacia, quæ ex validissimo genere sunt, quæque ventriculum et intestina satis acriter irritant. Horum enim vis stimulans, ope nervosi consensus, ad partes vel longinquissimas corporis extenditur, ibique absorptionem concitat: quinctiam ingentem humoris fluxum ad intestina derivat, eumque extra corpus eliminat: unde sæpe fit, ut aqua *hydropica* cito abducatur, et tumores brevi evanescant. Nil opus erit hic medicamenta purgantia enumerare: omnes enim norunt quæ sunt acriora *cathartica*, alvumque maxime liquantia; hæc autem maxime valent, quomodo crebro repetuntur, largeque, parvis interpositis spatiis, adhibentur.

Altera remedia quibus aquas *hydropicas* amoliri niti debemus, sunt ea quæ urinam movent,—vulgo *Diuretica* nuncupata. Hujus generis efficacissima sunt, *Digitalis purpurea*, *Scilla maritima*, quædam ex *hydrargyro* medicamenta, *Supertartras Potassæ*. *Hydrargyrus*

quidem præter facultatem ejus renes stimulandi, fluxumque urinæ augendi, quadam propria vi absorptionem concitare putatur. Quinetiam, *Potassæ supertartras*, cathartici non secus quam *diuretici* remedii, vicem implet. Hæc autem omnia vi copiam urinæ multum augendi pollent, nec raro efficiunt ut *hydropicæ* intumescentiæ subsidant, pleraque morbi indicia evanescant. CULLENUS auctor est, vires horum medicaminum, salinorum præsertim, admodum intendi, si multo aquoso latice diluantur; quod rationi quidem consentaneum est: veri enim simile est, ea minore copia renibus deletum iri, nisi tali vehiculo ibi afferentur. Notandum vero est de hujusmodi auxiliis, ea parum constanter spei medici respondere; immo eam prorsus nonnunquam destituere.

Alio vero minus proficiente, ad aliud remedium transcurrendum est; et interdum fiet, ut parvi nominis medicamentum multo magis proderit quam ea quæ haud immerito præstantissima habentur. Quomodo *cathartica* et *diuretica* remedia in *Hydrope* tollendo operantur, quasque mutationes in corpore humano, dum hoc agunt, efficiunt, est argumentum dignum quod curiose

disquiratur. Imprimis, aiunt, hæc remedia absorptionem concitant, et hoc modo humorem *Hydropicum* amoliuntur: Quæ autem est hujus concitationis ratio? Quomodoque ea efficitur? Forsan, ut supra dictum est, vis concitatrix, qua hæc remedia intestina et renes afficiunt, ad vasa usque absorbentia extenditur. Mihi autem hujus rei ratio aliunde petenda videtur. Vasa sanguinem vehentia, ut ego opinor, (humoribus serosis ex iis versus renes et intestina tam magna copia derivatis, ipsisque forsan acrioribus sanguinis partibus irritatis), lenis istius laticis defectum sentiunt, et supplementum desiderant; cui desiderio, *vis naturæ medicatrix* sese obtemperans, ex fonte qui maxime in propinquo est, tumoribus scilicet *Hydropicis*, quod quærunt, iis suppeditat. "Multæ exinanitiones," ait noster venerandus GREGORIUS, "urinæ imprimis magnus fluxus, aut copiosus sudor, aut valida alvi purgatio, fortasse etiam et plena vomitio, mirabiliter sæpe prosunt, augendo actionem vasorum absorbentium, detracto et dissipato plurimo humore tenui qui in venis adfuerat; unde brevi necessitas novi talis humoris subsidii, cui necessitati natura quam op-

time satisfacit, hauriendo quantum opus fuerit, ex illo penu qui maxime in promptu est."

III. *Consilium.*—Curiose providendum est ne morbus denuo recurset.

Huic consilio omnia quæ supra de amotione imbecillitatis, et confirmatione virium corporis, edixi, conveniunt, nec ideo opus erit hic ea repetere.

CONCLUSIO.—Hæc fere sunt quæ de Hydrope notanda habui; ea omnino communia esse, nec ullas opiniones novas proferentia, forsan etiam haud penitus errore vacua, non diffitere ausim. Quod vero ad medicas theorias attinet, haud mihi in animo est, "quod vera scientia deesset, imaginatione et conjecturis supplere." Subjiciamque, satis esse difficile, proprie communia dicere.

FINIS.